

URBANIANA XII

AERTNYS-DAMEN C. SS. R.

THEOLOGIA MORALIS

SECUNDUM DOCTRINAM
S. ALFONSI DE LIGORIO DOCT. ECCLESIAE

Auctore J. AERTNYS, C. SS. R.,
S. Theologiae Moralis in Collegio Wittemiensi
olim Professore, quam ex integro recognovit,
auxit atque ad Cod. Iuris Can. accommodavit
C. A. DAMEN, C. SS. R., Iuris Canonici
Doctor atque in Athenaeo Pontificio de Pro-
paganda Fide Theologiae Moralis Professor.

TOMUS I.

EDITIO DECIMASEXTA
(Octava post Codicem Iuris Canonici)



MARIETTI

1950

PERMISSU SUPERIORUM C. SS. R.

NIHIL OBSTAT

Taurini, die 10 Januarii 1950.

Sac. JOSEPHUS ROSSINO, *Rev. Deleg.*

IMPRIMATUR

C. ALOYSIUS COCCOLO, *Vic. Gen.*

SANCTO PATRI ALFONSO

DOCTORI ZELANTISSIMO

CONFESSARIORUM DUCI TUTISSIMO

PIETATE FILIALI DICATUM

Ad decimam sextam editionem

PRAEFATIO

In hac nova editione concinnanda ante omnia summo nobis studio fuit, ut cuncta ea quae Acta Apostolicae Sedis inde ab editione antecedenti, anno 1947 publicata, circa disciplinam nostram nova tulerunt praescripta, operi nostro fideliter insererentur. Hinc necesse fuit centum circiter locis diversis aliquando minoris, aliquando maioris, imo maximi momenti documenta organico modo intexere. Inter graviora veniunt in Tomo I: Litterae Encyclicae Mediator Dei et hominum, diei 20 Nov. 1947, de Sacra Liturgia, e quibus plura excerpta sunt circa cultum divinum in tractatu de I et III praecepto Decalogi; et Constitutio Apostolica Provida, diei 2 Febr. 1947, Motu proprio diei 12 Martii 1948 et Instructio diei 19 Martii eiusdem anni de Institutis saecularibus, quorum debita habita est ratio in tractatu de Praeceptis statuum vitae. In Tomo II praesertim notentur dicta de ministro extraordinario Sacramenti Confirmationis, attentis documentis non tantum S. C. de Sacramentis diei 14 Sept. 1946, verum etiam S. C. de Prop. Fide diei 18 Dec. 1947 pro terris Missionum, et S. C. pro Ecclesia Orientali 1 Maii 1948 pro fidelibus ritus orientalis; plura iterum ex Litteris Encyclicis supra citatis de Sacra Liturgia circa Sacrificium Missae in tractatu de SS. Eucharistia; quaedam de causis excusantibus ab integritate materiali in Confessione peragenda, attenta praesertim Instr. S. Poenitentiariae diei 25 Martii 1944 circa Sacramentalem absolutionem generali modo pluribus impertiendam, in tractatu de sacramento Poenitentiae; Constitutio Apostolica Sacramentum Ordinis, diei 30 Nov. 1947 de Sacris ordinibus Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus, in tractatu de Sacramento Ordinis; Responsum Comm. Cod. Interpr. diei 31 Maii 1948 de matrimoniis per procuratorem; Motu proprio diei 1 Aug. 1948 de forma matrimonii servanda etiam ab iis qui ab acatholicis nati catholice baptizati dein acatholice adoleverunt, abrogato commate secundo paragraphi secundae can. 1099; responsum Comm. Cod. Interpr. diei 26 Ian. 1949 de matrimonio putativo; plura tandem passim ex Motu proprio diei 22 Febr. 1949 de disciplina Sacramenti Matrimonii pro Ecclesia Orientali; responsa S. Officii diei 1 Iulii et 11 Aug. 1949 de Communismo.

Praeterea, quaedam materiae magis expositae vel ampliatae aut etiam reformatae sunt, ut Introductio de natura, divisione et methodo Theologiae Moralis, atque elenchus bibliographicus; quaestiones de bello moderno, de solemnitatibus piarum voluntatum in iure canonico, de consensu matrimoniali, de impedimento impotentiae et de consummatione matrimonii, de inseminatione artificiali.

Gratias demum maximas nobis agere liceat confratri et collegae nostro R. P. Ioanni Visser C. SS. R. in utroque iure Doctori atque in Pont. Athenaeo de Propaganda Fide Theologiae Moralis fundamentalis et Theologiae Pastoralis magistro, qui postquam iam antea, pro editione decima quarta, pretiosam opem suam praestitit in conscribendo conspectu historico, nunc iterum zelo indefesso nobis adstitit in hac decima sexta editione adornanda.

Faxit Deus ut opus Aertnysianum multum conferre pergat in praeparandis futuris Sanctuarii ministris ad munus pastorale rite exercendum atque in sustentandis vel ipsis Sacerdotibus, tali divino muneri iam deditis, ad solvenda tot dubia quae eorum animos angustant.

C. DAMEN C. SS. R.

Scribendam Romae, die 15 Martii 1950

S. Clementi Mariae Hofbauer sacro.

MATERIAE PRAECIPUAE INDE AB OBITU AUCTORIS

(ANNO 1915)

OPERI SUPERADDITAE

(in ed. 9-14 incl.)

In tom. I: Conspectus historicus (p. XIX); elenchus bibliographicus inde a medio saeculo XIX (p. XXXVI); tractatus de fine ultimo (n. 1-17); causae remote influentes in libertatem, ubi de perturbationibus psychicis (n. 44-45); auctoritas opinionum S. Alfonsi (n. 95); lex divina positiva (n. 137-139); leges quibus subiciuntur Orientales (n. 151. *Scholion*); tempus adimplendi legem (n. 169); imperfectio (n. 233 bis); integer tractatus de virtutibus (n. 264-305); communicatio in ritibus iaponensibus et sinensibus (n. 314); obligatio fidem propagandi (n. 315 bis); rectus usus bonorum superfluorum (n. 364. *Scholion*); integer articulus de Actione Catholica (n. 372 bis); cooperatio ad illicitas emptiones-ventiones et ad illicitas operationes chirurgicas (n. 403); obligatio vitam sustentandi et laborandi; ius ad laborem; inedia usque ad mortem (n. 566); sterilizatio (n. 568); hysterectomia et similes operationes (n. 583); laesio animalium (n. 583 bis); virtus castitatis; virginitas; initiatio sexualis (n. 593-596); praxis S. Officii circa certa delicta (n. 626); usus quidam pictorum et sculptorum (n. 640); solutio facienda mutato valore pecuniae (n. 869. *Scholion*); operistitiae (n. 962); speculationes bursae (n. 978); secretum conscientiae (n. 1004 nota); quantitas cibi diebus ieiunii (n. 1047. *Scholion*); secretum medicorum (n. 1250).

In tom. II: Necessitas baptismi (n. 43-45); abusus praecavendi circa communionem frequentem (n. 167); frequens venialium confessio (n. 275 bis); error communis apud orientales dissidentes (n. 359); de periculis radiophoniae (n. 508 bis); de candidatis ad S. Ordines sub respectu castitatis (n. 589 bis); regimen matrimonii; impedimenta ob rationes eugeneticas, examen medicorum ante matrimonium (n. 635-636); impotentia ex sterilizatione (n. 716); copula dimidiata alique abusus (n. 896); continentia periodica (n. 897); lotiones vaginales (n. 898); tractatus de delictis et poenis in genere (n. 953-966).

MATERIAE PRAECIPUAE INDE AB OBITU AUCTORIS

NOVO VEL AMPLIORI MODO PROPOSITAE

In tom. I: Ea omnia quae cum Codice Iuris Canonici cohaerent, uti multa in tractatibus praesertim de legibus, de I, II et III praecepto Decalogi; de praeceptis Ecclesiae, de statu clericali - tractatione de officiis Episcoporum ex integro refecta; de statu religioso. Dein notio, regula et species moralitatis (n. 47-51); moralitas circumstantiae effectus (n. 58); obligatio legis (n. 155); lex poenalis (n. 158. 159); relatio actuum ad Deum (n. 340); suasio minoris mali (n. 379); notio et divisio cultus (n. 409); oratio (n. 414); spiritismus et hypnotismus (n. 429-432); opera prohibita diebus festis (n. 507); lactatio prolis (n. 545); resistentia contra tyrannum (n. 563); bellum (n. 588); tributa (n. 831-833); contractus turpis (n. 846); foenus (n. 913); coelibatus Orientalium (n. 1098).

In tom. II. In singulis tractatibus materia canonica iuxta Codicem ultioresque declarationes et instructiones S. Sedis atque Doctorum disputationes digesta. Dein: obligatio sigilli sacramentalis (n. 455); hermaphroditismus (n. 580. 716); subiectum capax Extremae Unctionis (n. 544); vocatio divina (n. 581-582); ordinatio clerici recidivi (n. 586); matrimonii natura (n. 623); fines matrimonii (n. 629); notio et divisio impedimentorum (n. 694. 695); subiectum impedimentorum (n. 697. 698); mixta religio (n. 704 *seqq.*); disparitas cultus (n. 722 *seqq.*); metus iniuste incussus (n. 823); consensus conditionatus (n. 827. 828); solutio vinculi matrimonialis (n. 921 *seqq.*). Et alia plura.

PROOEMIUM AUCTORIS

Omnes sane expectabunt in hoc opere genuinam doctrinam invenire S. Patris mei et Doctoris Ecclesiae Alfonsi de Ligorio; et merito quidem id expectant. Quantum in me fuit, et quantum aetati nostrae convenit, doctrinam S. Doctoris secutus sum, non ideo demum, ut aiunt, quia magister dixit, sed ob plures easque iustissimas rationes, quas proferre iuvabit, nimirum: 1° OB TOT APPROBATIONES TANTASQUE LAUDES, quibus S. Sedes doctrinam illam cumulare non cessavit. — 2° OB TITULUM DOCTORIS ECCLESIAE, quo insignitus est, quique eminentem doctrinam supponit; quare Pius IX in Brevi *Qui Ecclesiae*, huius Doctoris opera omnia in omnibus ecclesiasticis studiis publice citari, proferri, atque, cum res postulaverit, adhiberi voluit et decrevit. — 3° OB LUMEN COELESTE, quod sanctus vir a Deo indubitanter accepit: divina namque Providentia suscitatus est ad reformandam praxim Confessoriorum morésque populi christiani emendandos. — 4° OB CANDIDUM VERITATIS AMOREM, a partium studio omnique passione immunem qui in Sancto elucet. Quanto veritatis amore ferebatur, liquit ex *Monito Auctoris*, Theologiae suae Morali praeposito, ¹⁾ ubi scripsit: « Ut sententias veritati conformiores seligerem, in quacumque quaestione non parum laboris impendi; per plures enim annos quamplurima Auctorum classicorum volumina evolvi tam rigidae quam benignae sententiae, quae ultimo (ut arbitror) in publicum prodierunt. Praesertim autem sedulam operam navavi in annotandis doctrinis D. Thomae, quas in suis fontibus observare curavi. Insuper in controversiis intricatioribus etiam doctos iuniores consului. » Et paulo post: « In delectu sententiarum ingens cura mihi fuit semper rationem auctoritati praeponere: et priusquam meum ferrem iudicium, in eo (ni fallor) totus fui ut in singulis quaestionibus me indifferenter haberem, et ab omni passionis fulgine exspoliarem. » Eandem affirmationem repetit *lib. 3. n. 547*. — 5° Denique ob PRUDENTEM MODERATIONEM, quam S. Doctor servat in iudicandi disputandique ratione. Scopus enim, quem in Opere suo sibi proposuit, est viam mediam tenere inter opiniones nimis benignas et nimis rigidas. Id imprimis profitetur in *Monito Auctoris*, ubi haec habet: « Nemini superfluum videatur post tot libros scientiam moralem pertractantes hunc me suscepisse laborem, quasi actum agerem; cum etenim plurimos legerim Auctores, alios inveni, qui plus aequo indulgentes, iis, qui (ut ait Isaias *cap. 30.*) dicunt: *Nolite aspicere nobis ea, quae recta sunt, loquimini nobis placentia*, consuunt pulvillos sub eorum capite, ut in peccatis misere conquiescant: haud enim dubitandum, multum detrimenti Dei Ecclesiam sentire ex istorum Auctorum sectatoribus, cum maior hominum laxioris vitae pars ad illos concurrat. Contra vero reperi alios, qui ad reprobanda assueti quaecumque

¹⁾ Hoc *Monitum Auctoris* magni momenti est ad cognoscendum spiritum S. Auctoris, qui propterea rogat lectores suos ut illud pro intelligentia totius operis legant. Ideo opportunum esse iudicavi illud maxima ex parte in prooemio meo intexere. Similiter proderit legere *lib. 3. n. 547*.

extremam rigiditatem non sapiunt, consilia cum praeceptis confundunt, novisque mandatis conscientias aggravant, humanam imbecillitatem nihil pensi habentes... et hoc modo iugum Christi Domini, quod est suave, intolerabile reddunt, viamque salutis sic pluribus praeccludunt... Utraque sane extremitas maxime periculosa, nam prima spatiosam viam relaxatione ad perditionem aperit; altera... duplici tramite urget animas in ruinam, erronea scilicet conscientia et desperatione; cum plurimi, audita hac rigidiora doctrina, vel in mortalia labuntur, credentes inesse lethale peccatum ubi non est, vel nimia difficultate deterriti, impossibile putantes eo modo posse salvari, salutis suae curam penitus abiiciunt. Propterea in lucem edere deliberavi hoc novum opus, quod inter opiniones nimis benignas et nimis severas medium locum teneret ». Idem saepius repetit in Operis decursu e. g. *lib. 3. n. 547; lib. 6. n. 426. 464.* ¹⁾

S. Doctorem scopum suum revera attigisse sollemniter testantur Decreta, quibus titulus Doctoris Ecclesiae ei conceditur, hisce verbis: « Inter implexas Theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias tutam stravit viam, per quam Christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent ».

Eadem moderatione impulsus S. Alfonsus postea subdit: « Sategi ut plurimum meam exponere sententiam, iustum pondus tribuendo maioris vel aequalis vel minoris probabilitatis cuique sententiae, prout meae imbecillitati visum fuit, ne ancipitem relinquerem lectorem, more aliquorum, qui sententias aliorum tantum referentes non parum exosos legentibus se praebent. Ubi vero non inveni rationem pro una parte convincentem, non sum ausus oppositam damnare, more aliorum, qui nimis facile reprobant opiniones, quas plures et graves Auctores tuentur... Caeterum, benigne lector, te admonitum volo ne existimes me opiniones illas approbare ex eo quod non reprobem; eas enim quandoque fideliter exponam cum suis rationibus et patronis, et alii pro sua prudentia, cuius ponderis sint, adiudicent. » Hoc exemplo S. Patris mei impulsus ego quoque methodum *comparativam* elegi, in quaestionibus adhuc controversis sententias exponendo cum praecipuis illarum fundamentis tam ex ratione quam ex auctoritate, quae lector ipsemet expendere valet: ea agendi ratione in dubiis nullam opinionem lectori obtrudo, sed libertatem relinquo; praeterquam quod ista methodus vere scientifica sit, atque aptissima ad informandum et perficiendum intellectum practicum. Doctor Angelicus eandem methodum assumpsit; semper enim exponit ac refellit rationes, quae stant contra suam doctrinam. Tandem, hoc pacto magis elucet rectum S. Alfonsi iudicium inter implexas Theologorum sententias, quod est maximum eius meritum.

Perpensis hisce rationibus, sane licet mihi rogare: Quis est alius Auctor Theologiae moralis, qui tantis securitatis praesidiis gaudeat? Nonne merito dici potest tantam esse S. Alfonsi auctoritatem in doctrina morali quanta est S. Thomae in doctrina dogmatica? Pro Theologia morali S. Thomas sana principia subministravit, S. Alfonsus sanam casuisticam elaboravit.

¹⁾ Propterea in systemate morali Probabiliorismum funditus *refellit* et Probabilismum dumtaxat *moderandum* esse censuit. Neque tamen novum aliquod et inauditum systema excogitavit; aperte enim protestatur se novum systema non condere; sed antiquum Probabilismum moderatum, quem hodie Aequi-probabilismum vocant, eligit. Conferat lector in hoc opere n. 106. 112. 116; ibi videbit quantopere systema S. Alfonsi in antiquitate radicatum sit, quam multi fuerint inter antiquiores Probabilistas, praesertim e Societate Jesu, qui sub communi Probabilismi nomine Probabilismum *moderatum* seu Aequi-probabilismum diserte tenuerunt; cui systemati S. Alfonsus extremam manum imposuit. Loco citato complures allegavi, quorum doctrinam ipsemet in eorum libris observavi.

Praedictis addere oportet: Pius IX in litteris Apostolicis 7 Iulii 1871 sollemniter declarat 1° S. Alfonso pestem iansenianam *radicitus* evulsisse et ab Ecclesia exterminasse. Si *radicitus*, ergo S. Doctoris doctrina ab *omni* prorsus ianseniano rigore immunis est. 2° Eum inter laxiores et rigidiores sententias *tutam* stravisse viam. Ergo, si deviare nolumus, viam teneamus, quam *tutam* esse novimus. 3° Ipsum providentissimo Dei consilio excitatum esse contra *temporum nostrorum* iniquitatem: ergo doctrina eius, Deo providente, temporibus nostris plene accommodata est. Inde colligo: ne in laxismum incidamus in momentosis quaestionibus, benignitatem ultra limites ab ipso positos extendere non debemus.

In opere meo scribendo maxime consecutus sum tum claritatem, ut omnes me intelligant, secundum dictum S. Augustini ¹⁾: « Non curet ille qui docet quanta eloquentia doceat, sed quanta evidentia »; tum utilitatem practicam, ut prosim Confessariis ac Pastoribus animarum: quapropter praxim cum theoria coniungendam esse existimavi. Deinde vitare studui ne opus tam diffusum esset ut non facile legeretur, nec tam breve ut in multis deficeret.

Ut hoc opus quam plurimum conferat ad Dei gloriam animarumque salutem, unice ac summopere mihi in votis est.

JOSEPH AERTNYS C. SS. R.

¹⁾ De doctr. christ. *lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 23. 24.

INTRODUCTIO

in Theologiam Moralem

Theologiam moralem tractaturi prius de eius natura, divisione, methodo et historia paucis disseramus oportet.

§ I. - NATURA THEOLOGIAE MORALIS.

Theologia moralis definiri potest: *ea pars Theologiae quae tractat de ordinatione actuum humanorum in Deum, finem ultimum supernaturalem.*

Dicitur: *pars Theologiae*: non enim se habet Theologia moralis ad Theologiam ut species ad genus, sed ut pars ad totum, cum non secundum obiectum *formale* sed tantum secundum obiectum *materiale* inter se discrepent Theologia moralis et aliae disciplinae theologicae; omnes enim tractant *de Deo et de creaturis in ordine ad Deum sub lumine revelationis.*

Dicitur: *quae tractat de ordinatione actuum humanorum*: en obiectum materiale nostrae disciplinae; dum enim Theologia *dogmatica* respicit veritates speculativas (speculatur circa veritatem), Theologia moralis potius veritates practicas respicit (speculatur circa praxim).

Theologia versatur circa Deum non solummodo in quantum Eum speculative cognoscimus, sed etiam et praecipue in quantum ad Eum ordinamur et tendimus tamquam ad finem. Quia haec ordinatio et tendentia est motus quidam, scientia tractans de illa hominis ordinatione a S. Thoma vocatur: «de motu rationalis creaturae ad Deum». (1. qu. 2. prooem.) Hic autem motus considerari potest dupliciter: 1) a parte Dei qui hominem movet ope gratiae suae, 2) a parte hominis qui seipsum movet actu voluntario. Dum de prima consideratione magis tractatur in Theologia dogmatica, Theologia moralis agit de secunda scilicet de modo quo homo agere debeat, ut cum auxilio gratiae ad Deum, finem suum, perveniat. Dicitur ideo *moralis*, quia respicit mores hominum, quomodo esse debeant ut sint boni seu ordinantes ad Deum.

Dicitur: *ad Deum finem ultimum*; ideoque non formaliter de ordinatione ad alium finem intermedium. Sic differt Theologia moralis a *Iure* sive civili sive canonico. Ius enim ordinationem vitae humanae considerat directe et formaliter *in ordine ad societatem* sive civilem sive ecclesiasticam; indirecte tantum et materialiter tangit ordinem ad Deum. Propterea Theologia moralis omnes actus humanos respicit non solummodo externos sed etiam et praecipue *internos*, in quibus enim moralitas essentialiter residet; Ius autem respicit unice actus externos, quippe qui soli ad vitam sociale ordinari possint, et qua tale ab interna ordinatione abstrahit.

Practice tamen in tractatu Theologiae moralis plura referuntur iuridica, non solum ob necessitatem statuendi et vindicandi obligationem obediendi praescriptis iuridicis, quae fundatur in lege morali, sed etiam quia Ius civile et canonicum plerumque determinant ordinem externum legitime constitutum, quem observando homo recte agit et ad finem suum dirigitur. Quod maxime valet de Iure Canonico ¹⁾ quo Ecclesia, iuxta finem suum specificum, regulas tradit ad sanctificationem fidelium supernaturalem, repetendo, confirmando, complendo atque integrando legem divinam circa vitam fidelium, circa cultum Deo tribuendum, circa media gratiae adhibenda (receptionem et administrationem sacramentorum), circa obligationes ministrorum, circa vitam consiliorum etc. Propterea decursu saeculorum scientiae Theologiae moralis et Iuris Canonici simul connexae saepe sese evolverunt et in manualibus Theologiae moralis coniunctae pro parte inve- niuntur. ¹⁾

Dicitur: *ad Deum finem ultimum supernaturalem* scilicet ad Deum quatenus est principium et finis vitae supernaturalis et uti talis cognoscitur ex divina revelatione. Differt ideo Theologia moralis a *Philosophia morali* seu *Ethica*, quippe quae consideret ordinationem actuum humanorum in finem ultimum *naturalem* et mere sub lumine *naturalis rationis*.

Non tamen sunt Theologia et Philosophia moralis scientiae omnino seiunctae, tractantes de obiecto etiam materialiter diverso; obiectum utriusque scientiae est actus voluntarius hominis in quantum moraliter ordinandus secundum normas quae *materialiter* pro magna parte coincidunt. Gratia enim non destruit sed perficit naturam relinquendo ipsi suam intrinsecam ordinationem et bonitatem; propterea Christus Dominus in Evangelio servare iussit *mandata*, utique naturalia quae ibi enumerat (Matth. 19. 17.), ad hoc ut in vitam ingrediamur, atque etiam ipsa lex nova saepius mere repetit praecepta naturalia. Lex naturalis absorbetur et assumitur in lege supernaturali hoc modo, ut integre conservans praecepta quae in natura

¹⁾ Praecepta iuris civilis, quibus generales leges divinae concrete determinantur et integrantur, maxime spectant ad materiam virtutis iustitiae sive generalis, sive distributivae sive commutativae. Quia autem secus ac ius canonicum, multiplicem diversitatem secundum diversas regiones offerunt, practice in libro omnibus destinato pauca de legibus civilibus tractari possunt.

²⁾ Cfr. Damen. *De recta theologiae moralis excolendae ratione in Rassegna di morale e diritto*. 1938. p. 61. Etiam Zeiger in *Periodica*. 1939. p. 179 sqq. et 1942. p. 333 sqq.

fundantur, elevetur, perficiatur et spiritu novo informetur. Nil mirum ergo si in describendo normas morales vitae humanae etiam in novo ordine supernaturali abunde redeunt et redire debent principia rationalia.¹⁾

Formaliter tamen Theologia moralis considerat eiusdem vitae humanae ordinationem sub lumine omnino diverso scilicet principiorum revelationis, quibus conclusiones rationis illustrantur, approbantur sed etiam perficiuntur et interdum corriguntur. Ista principia revelationis, secundum quae ordinetur oportet vita hominis elevati ad ordinem supernaturalem, inveniuntur in *S. Scriptura* (praesertim in Novo Testamento) et *Traditione* nobisque patefiunt per *doctrinam Ecclesiae*. Primum autem ordinis supernaturalis principium est charitas, quia per ipsam proprie homo Deo coniungitur. Eique adhaeret, secundum illud S. Thomae: « Finis omnium actionum humanarum et affectionum est dilectio Dei, per quam maxime attingimus ultimum finem » (2. 2. qu. 27. a. 6.). Propterea Christus Dominus primam et ultimam normam omnis moralitatis sic statuit: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... Hoc est maximum et primum mandatum » (Matth. 22. 37. cfr. 1. Cor. 13. 1-3; 13.).²⁾ *Forma autem concreta* qua homo charitatem istam exercere et actuare debet in actibus suis est *sequela Jesu Christi*, in cuius figura eminens exemplar et magister nobis offertur perfectae vitae ordinationis in Deum sc. secundum vitam et doctrinam Eius. Novus enim homo Christum induere debet (Rom. 13. 14; Gal. 3. 27.), sentire in se quod est in Christo Jesu (Phil. 2. 5.) et crescere usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi (Eph. 4. 13.); Ipse enim est Via, Veritas et Vita (Io. 14. 6.)³⁾

§ II. - DIVISIO THEOLOGIAE MORALIS.

Theologia moralis, uti supra definita est, ita vocari potest *lato sensu* scilicet de *universa* ordinatione actuum humanorum ad Deum in ordine supernaturali. Quae tamen paulatim practicam divisionem accepit in duas

¹⁾ Exaggerant ergo quidam moralistae moderni, qui theologiam moralem limitare vellent ad sola principia revelationis, relegatis principiis naturalibus ad separatam scientiam, praeliminarem quidem ad theologiam moralem. Ita v. g. Tillmann. *Handbuch der Katholischen Sittenlehre*. 1934 sqq.; idem in *Menschenkunde im Dienste der Seelsorge* ed. ab Heinen et Hoffner 1948. p. 9-19; et plures alii. Cfr. Zeiger in *Periodica* 1939. p. 177-189. Schilling in *Theol. prakt. Quartalschr.* (Linz) 1939. p. 451-456. Thils. *Tendances actuelles en theologie morale*. 1940.

²⁾ Schilling in *Theol. Quartalschr.* (Tübingen) 1938. p. 419 sqq.

³⁾ Hoc sensu tantum accipi potest doctrina quorundam (uti Tillmann o. c. III p. 6-7.) quod imitatio Christi est principium moralitatis. Cfr. Buys C. ss. R. in *Theologische Opstellen opgedragen en aangeboden aan Mgr. v. Noort*. 1944. p. 34-59. Verbum « imitatio Christi » sat imperfecte exprimit nostram habitudinem ad vitam Jesu Christi. Dum enim vitam Christi propter speciale Ipsius munus (Redemptoris et Capituli generis humani) et specialem Eius perfectionem (qua non subiciebatur motibus, imperfectionibus et tentationibus carnis) in pluribus imitari non possumus, ab alia parte in non paucis conditionibus et statibus vitae humanae (v. g. in statu matrimoniali) pro imitatione magis recurrere debemus ad spiritum Jesu Christi. Deinde magnam quantitatem normarum quas Christus nobis tradidit invenimus praeterquam in vita etiam in doctrina Eius. Haec omnia melius amplecti videtur verbum « sequela Christi » quam « imitatio Christi ». Cfr. etiam Schilling. in *Theol. Quartalschr.* (Tübingen) l. c. et in *Lehrbuch der Moraltheologie*. I. p. 19.

partes subalternas, quae distinguuntur *non secundum obiectum formale* sed materialiter tantum: *Theologia moralis stricto sensu* atque *Theologia ascetica et mystica*.

Inter eas duplex vertitur distinctio:

1) Theologia moralis stricto sensu tractat de iis quae sunt stricte *necessaria*, ut quis plene attingat finem ultimum supernaturalem, aliis verbis quae sunt de necessitate virtutis seu *de praecepto*; quorum defectus ergo constituit peccatum *sive mortale sive veniale*. Theologia autem ascetica et mystica tractat etiam de iis quae non sunt stricte necessaria seu quae sunt *de consilio tantum* seu de perfectione virtutis, quorum defectus per se nullum peccatum constituit sed meram imperfectionem.¹⁾

2) Theologia moralis stricte dicta tractat de ordinatione vitae humanae ad Deum *modo statico* i. e. obiective proponit ea quae praecipuntur vel prohibentur seu conditiones describit quibus quis dici potest vel dici non potest ordinatus ad finem ultimum. Theologia ascetica e contra, uti hodie accipitur, tractat de ordinatione vitae humanae ad finem ultimum supernaturalem modo magis *dynamico* sc. statuit normas et vias, iuxta quas homo *progrediendo* (per viam purgativam, illuminativam et unitivam) crescit virtutibus et ad finem pervenit. Sub hoc respectu Theologia ascetica etiam tractat de virtutibus necessariis, sed in earum practico exercitio ut v. g. de humilitate, obedientia, charitate, castitate, de oratione etc. atque de earum defectibus qui vera peccata constituunt.²⁾

Theologia moralis, quae cursu nostro tractabitur, intenditur *stricte dicta*, adiunctis illis partibus ex Iure canonico, de quibus in hoc tractatu agi debere vel utiliter posse putamus. Communiter autem haec Theologia moralis dividitur in *generalem* et *specialem*. Pars generalis seu fundamentalis tractat de actibus moralibus eorumque normis et principiis in communi; proinde missis iis quae hodie in Theologia dogmatica tractari solent — ut adiumentum gratiae in opere bono peragendo, et ea quae ad meritum et demeritum actuum humanorum pertinent — continet tractatus de fine ultimo, de actibus humanis, de conscientia, de legibus, de peccatis et de virtutibus. At, quum omnis operativa scientia in particulari consideratione perficiatur, oportet in parte *speciali* singulas virtutes earumque praecepta, tum iuris naturalis tum iuris positivi, quibus homo in finem ultimum dirigitur, con-

¹⁾ Hac materiali distinctione theoretica non innuitur etiam in vita practica ea quae sunt de necessitate praecepti separari posse ab iis quae sunt de perfectione, eo sensu quod quis sese ad prima limitare posset. Pro omnibus enim valet verbum Christi: «Estote ergo perfecti sicut Pater vester in coelis perfectus est». (Matth. 5. 48.) Praecepta et consilia saepius permiscetur, ita ut vera vita christiana, saltem ratione medii ad finem, plura perfectiora includit, dum ab alia parte perfecta observantia omnium praeceptorum moraliter est impossibilis. (Iac. 3. 2; 1 Io. 1. 8.)

²⁾ Doleri forte potest, quod in tractatu scientifico theologiae moralis, uti hodie traditur in manualibus, separatio a theologia ascetica, et in specie a quibusdam elementis supernaturalibus vitae hominis moralis, facta sit. Practice tamen damnum huius separationis exaggerari non debet, ubi in cursu theologico contemporanee vel successive de opere gratiae supernaturalis atque de vita huic conformi in praxi vitae christianae tendentis ad perfectionem abunde tractatur in cursu theologiae dogmaticae et asceticae.

siderare et de actibus bonis hisce conformibus et de peccatis iis contrariis disserere. Et primo quidem tractandae sunt illae virtutes, quibus homo ordinatur immediate in ipsum finem ultimum supernaturalem, scil. *virtutes theologicae* earumque praecepta. Dein considerandae sunt virtutes morales earumque praecepta, sive de lege divina sunt sive de lege ecclesiastica, quippe quae sint circa ea quae sunt ad hunc finem seu circa opera charitatis; in quo prius tractanda occurrunt ea quae sunt communia omnibus, praecepta scil. *Decalogi* et communia *praecepta Ecclesiae*: dein vero obligationes *propriae diversorum statuum vitae*. Postremo vero agendum est de mediis illis quibus in gratiam et charitatem introducimur in eaque conservamur et de praeceptis circa illa, seu de *Sacramentis* Novae Legis; cui adiungendus tractatus circa quaedam subsidiaria media, *poenas* scil. et *indulgentias*.

Hinc ad normam Theologiae moralis S. Alfonsi de actionum humanarum directione in finem ultimum supernaturalem dicemus septem libris, nimirum: I. De principiis generalibus; II. De praeceptis virtutum theologiarum; III. De praeceptis Decalogi; IV. De praeceptis Ecclesiae; V. De obligationibus statuum vitae; VI. De Sacramentis; VII. De poenis et indulgentiis.

§ III. - METHODUS THEOLOGIAE MORALIS.

Triplex communiter distinguitur methodus colendae Theologiae moralis, scilicet:

a) *positiva*, quae ex fontibus Theologiae (S. Scriptura, Traditione, Magisterio Ecclesiae) veritates morales proponit et circumscibit.

b) *systematica* seu *speculativa* seu *scholastica*, quae naturali lumine rationis ista principia confirmat, supplet, nexum eorum illustrat, conclusiones ex illis deducit eaque omnia in logicum systema componit.

c) *casuistica*, quae studet principia et conclusiones generales hoc modo statutas ad casus particulares applicare.

Duae priores methodi magis procedunt *a priori*, in quantum ponunt principia generalia et specialia secundum quae vita christiana recte instituatur oportet. Tertia methodus magis procedit *a posteriori* hoc sensu quod considerat vitam realem, qualis concrete ab hominibus ducitur, atque de casibus quae ordinarie occurrunt vel facile praevidentur inquirat, utrum legibus moralibus convenient necne.

In completa Theologiae moralis tractatione tres illae methodi debitam partem implere debent, nec ulla omitti aut negligi potest. Theologia enim moralis ut *scientia theologica practica* necessario requirit: qua *theologica* foundationem in principiis revelatis ut in fonte primario; qua *scientia* cognitionem certam veritatum moralium ex principiis deductarum et logico ordine in synthesin compositarum; qua *practica* (scilicet eo intenta ut hominum conscientias efformet circa ea quae fieri debent in ordine ad finem

ultimum) applicationem principiorum ad casus particulares. « Sermones morales universales, ita S. Thomas, minus sunt utiles, eo quod actiones in particularibus sunt ». ¹⁾

Experientia constat cognitionem principiorum et normarum generalium non sufficere ad decidendum de recto modo agendi in concretis circumstantiis, quae variis occurrentibus causis aspectum intricatum saepe praebere ideoque applicationem variorum principiorum requirere possunt, quae sese invicem limitant, modificant imo et aliquando elidere videntur; quae omnia difficulter in regulis generalibus exprimi possunt. (*Lib. VI, n. 628.*) Deinde applicatio regularum generalium ad vitam practicam praecipue est actus virtutis *prudentialis*, ²⁾ quae efformatur et evolvitur non sola consideratione et studio rectorum principiorum sed etiam, idque magis, practico exercitio sc. applicando principia inventa ad casus particulares non mere exempli causa ad melius intelligendum, sed ad evolvendam aestimationem prudentialem. ³⁾

Ab alia parte methodus casuistica nullo modo separatim procedere potest a studio positivo et systematico, non solum quia secus characterem scientificum amitteret, sed praesertim quia tum unico solido fundamento sese prorsus privaret, principiis nempe ex revelatione et ratione naturali deductis atque systematice compositis; methodus casuistica, ut sit sana, nihil aliud esse potest nisi *prudentialis applicatio eorum principiorum* ad casus practicos. ⁴⁾

Recta ergo methodus tractandi Theologiam moralem ea est, quae dicitur *mixta*; ea nempe in qua post accuratam investigationem principiorum supernaturalium et naturalium eorumque probationem et systematicam compositionem, proceditur ad applicationem practicam mediante casuum solutione. Tali modo vel magis in nostro manuali uti necessarium est, quod destinatur ad formandos sacerdotes in scientia practica morali et pastoralis, qua fideles rectum vivendi modum docere in eoque ducere queant.

¹⁾ 2. 2. Prolog. Cfr. Merkelbach. *Moralis theologiae idonea methodus* in *Miscellanea Vermeersch*. I. p. 1-4.

²⁾ S. Thom. 2. 2. q. 47. a. 6 et 7.

³⁾ De virtute prudentiae efformanda et quomodo opera moralia S. Alphonsi in hoc respectu emineant cfr. Damen. *S. Alphonsus, Doctor Prudentiae* in *Rassegna di morale e diritto*. 1939. p. 220 et 1940. p. 43.

⁴⁾ Cfr. Damen. *De recta theologiae moralis excolenda ratione* in *Rassegna di morale e diritto*. 1938. p. 56 sqq. Dublanchy. *Casuistique* in *DThC*. II. 1859 sqq. Noldin. *De principis*. n. 7. Negari quidem non potest, quod saeculis praeteritis aliquando casuistica peccavit nimia negligentia studii positivi et systematici atque ita quandam separationem creavit a sanis principiis theologiae moralis, quorum prudentialis applicatio iam dici non poterat. Id tamen methodo casuisticae qua tali obici non potest. - Quomodo historice tres methodi una fere post aliam sese evolverunt, vid. infra p. XIX sqq.

CONSPPECTUS HISTORICUS

Theologia moralis, sicut aliae scientiae ecclesiasticae, in ea forma qua hodie nobis apparet non ab initio nata est, sed paulatim et per gradus se evolvit. Sicut in construendo aedificio operarii non statim elaborationi particulari et subtili se dedicant sed prius fundamenta ponunt et muros fabricantur, ita theologi in construendo praeclaro aedificio scientiae theologiae moralis a fundamentis incipientes gradatim ad ordinationem et subtiliorem elaborationem progressi sunt.

Triplex ideo epocha in hac evolutione distingui potest secundum progressum et diversum statum constructionis:

1) Epocha qua afferuntur et praeparantur materiae et ponuntur fundamenta, quae totum aedificium sustinere debebunt: est *aetas patristica* seu *positiva*, qua SS. Patres, sublimes ingenio sub ductu Spiritus Sancti ex S. Scriptura et Traditione materias colligentes et elaborantes, inconcussa posuerunt fundamenta omnis verae scientiae christianae.

2) Epocha qua materiae praeparatae componuntur in aedificium solidum et perfectum, construuntur muri et trabes, superimponitur tectum: est *aetas scholastica* seu *systematica*, qua theologi vasta scientia et incomparabili profunditate materias a SS. Patribus traditas colligunt in systema organicum totam theologiam complectens.

3) Epocha qua ornantur partes internae aedificii, affertur et disponitur supellex etc.: est *aetas moderna* seu *casuistica*, qua theologi procedunt ad perfectiorem elaborationem quaestionum specialium et sedula diligentia ac subtili animo se dedicant practicis applicationibus in multiplici vita humana.

Characteres his epochis assignati nullo modo, uti patet, sunt exclusivi; omnes isti aspectus theologiae moralis, positivus sc. systematicus et casuisticus, quolibet momento historiae magis vel minus apparent, sed in respectivis epochis tam clare et prae ceteris se manifestant, ut vere proprii et determinativi dici possint. Unaquaeque epocha periodum habuit auream splendore aliis supereminentem, qua praecipue specialis unius cuiusque indoles characteristicam perfectionem adeptam est; sunt periodi quae immediate subsequuntur magna concilia oecumenica Nicaenum (325), Lateranense IV (1215), Tridentinum (1545-1563). Hisce periodis tamen successit semper maior vel minor deminutio vigoris scientifici, ita ut per continuos fluxus et refluxus scientia theologiae moralis ad hodiernum statum pervenerit.

EPOCHA PRIMA PATRISTICA POSITIVA

(AB INITIO AD SAEC. VII)

Hac prima epocha evolutionis sacrae theologiae ethica christiana non tam systematice aut scientificae docetur quam paraeneticae, ex scopo practico et aedificativo. Generatim Patres data occasione positive mores praedicant desumendo materiam et argumenta ex S. Scriptura; sed etiam quando ad argumenta rationis procedunt, de vera *scientia* theologiae moralis vix quaestio esse potest. Opera Patrum, praesertim prioribus saeculis, non

raro manifestant spiritum quendam severiorem, aliquando vere rigoristicum; rationes erant: a) necessitas avertendi christianos a fere omnibus deliciis mundanis illius temporis, quippe quae plenae essent spiritu pagano; b) character paraeneticus et oratorius causa erat, cur saepe omitterentur accuratiores distinctiones, sicut inter peccata mortalia et venialia, inter praecepta et consilia.

PERIODUS I: PRIMAE EVOLUTIONIS

(*Ab initio ad edictum Constantini 313*)

Propter continuas persecutiones fere impossibilis erat expansio doctrinae et litteraturae ecclesiasticae; opera saepius praebent characterem potius occasionalem quam scopum scientificum. Magis quam in secunda periodo his primis saeculis rigorismus quidam apparet propter apertam oppositionem et inimicitias societatem paganam inter et christianam.

Plura scripta tantum exhibent pias exhortationes genericas ad rectam vitam christianam et virtutes exercendas; ita: S. CLEMENS ROMANUS: *Epistola ad Corinthios* (in fine saec. I); S. IGNATIUS: *Epistolae* ad varias ecclesias (initio saec. II); S. POLYCARPUS: *Epistola ad Philippenses* (medio saec. II). Opuscula praesertim TERTULLIANI (circa 160 - circa 220) et S. CYPRIANI (c. 200 - 258) iam magis descendunt ad practicam applicationem, non raro usque ad minimas circumstantias particulares, immo ad veram casuisticam. Sic v. g. TERTULLIANUS: *De spectaculis* (contra frequentationem circi et theatri); *De idololatria* (casuistice tractat de variis modis cooperationis et communicationis in idololatria); *De oratione*; *Ad uxorem* (de unitate matrimonii, de casta viduitate et de virginitate; contra matrimonia mixta); *De cultu foeminarum* (de cultu corporis exaggerato). Tertullianus, iam ut christianus sat rigorosus, ut montanista plura opera scripsit falsa et damnabili exaggeratione plena, uti *De corona* (damnat participationem christianorum in militia saeculari); *De fuga in persecutione* (quam illicitam declarat et tractat ut apostasiam); *De exhortatione castitatis* et *Liber de monogamia* (damnat secundas nuptias ut speciem stupri); *De pudicitia* (contra Papam Callixtum qui peccatum fornicationis et adulterii declaraverat remissibile). - Multo mitius procedit in suis *Epistolis* et praesertim in opusculis S. CYPRIANI: v. g. *De habitu virginum*; *De opere et eleemosynis*; *De bono patientiae* et *De zelo et livore*. In opere *Ad Quirinum*, praesertim in Libro III, normas et exhortationes tradit pro vita christiana breves et fundatas in textibus S. Scripturae.

Multum influxum absque dubio in christianos exercebant instructiones morales, quae per modum catechesis divulgabantur. *Didache* (c. 70 - 90) in prima parte tradit doctrinam moralem sub forma duarum viarum, sed est satis inordinata enumeratio praeceptorum et prohibitionum. Eandem formam praebent *Epistola Barnabae* (initio saec. II); *Canones ecclesiastici Ss. Apostolorum* (fine saec. III); *Didascaliam* (fine saec. III) eamque adhuc repetitam invenimus in altera periodo v. g. saec. V: *Constitutiones Apostolorum* (pseudo-clementinae) et *Testamentum Domini nostri Jesu Christi*.

Aspectum magis idealem morum et doctrinae christianorum tradunt apologetae huius temporis, qui contra paganos non stricte docent mores, sed ostendunt excellentiam evangelicae doctrinae, et invehendo contra mores depravatos paganorum ex adverso demonstrant falsitatem accusationum contra christianos latarum de peccatis atheismi et contra naturam. Sic v. g. S. JUSTINUS (initio saec. II - c. 165): *Apologiae*; Anonymi cuiusdam *Epistola ad Diognetum* (saec. II vel III); ATHENAGORAS: *Legatio pro christianis* (fine saec. II); THEOPHILUS ANTIOCHENUS: *Ad Autolyicum* (libro III) (fine saec. II); TERTULLIANUS: *Apologeticus* etc.

Initium verae scientiae moralis praebent tentamina doctrinam moralem non quidem systematice sed saltem magis extense et scientificè exponendi. Iam *Hermas* (circa medium saec. II) in suo opere *Pastor* longiorem synthésin composuit doctrinae moralis christianae sub forma visionum et apparitionum, quibus, modo tamen magis exhortativo, tractat de mandatis et virtutibus et de praxi earum. Indoles scientifica iam magis apparet in scriptis Alexandrinorum, qui doctrinam christianam etiam fundare conantur in philosophia graeca, praesertim Platonica. Eminent inter eos *Clemens Alexandrinus* (post medium saec. II - initio saec. III), qui in tractatu *Paedagogus* agit de praeceptis ethicae christianae ex auctoritate S. Scripturae necnon ex philosophia: paedagogus i. e. Verbum docet de modo vivendi in omnibus particularibus, saepissime casuistice usque ad ultima practica; licet interdum aliquatenus rigoristice procedit, tamen saepius mores christianos cum circumstantiis temporis conciliat (v. g. de gymnastica, de balneis etc.). Vel magis scientificè demonstrat ethicam christianam perfectionem esse philosophiae in opere *Stromata*, praesertim in Libro VI - VII. In Homilia « *Quis dives salvetur* » agit de recto usu divitiarum, quae quidem de se non sunt malae sed perverso affectu ad malum, recto usu ad bonum conducunt. Etiam *Origines* (c. 185 - c. 254) licet opera ex professo de rebus moralibus non confecerit, tamen in variis suis scriptis, praesertim in *Homiliis* et *Commentariis in S. Scripturam*, passim multa in eodem sensu scripsit ac Clemens; constat v. g. ipsum doctrinam philosophorum de virtutibus cardinalibus in doctrinam christianam transtulisse. Simili modo in Occidente iam philosophice in moralibus procedit *LACTANTIUS* (fine saec. III - initio saec. IV) in Libro VI sui operis *Divinae Institutiones*.

Sicuti ex operibus supra enumeratis iam manifeste patet, hoc tempore casuistica non deerat, propter necessitatem doctrinas theoreticas vitae practicae applicandi. Cum tamen magis ac magis diffunderetur praxis poenitentialis, etiam methodum casuisticam et pastoralement incrementum accipere oportebat, ut sacerdotibus normae traderentur procedendi in administrando Sacramento Poenitentiae. Huc maxime referri debent sic dicti canones et epistolae canonicae, quibus non quidem minutim definiebantur et determinabantur peccata et virtutes, sed tantum externa quaedam applicatio poenitentiae ordinabatur, indicando mensuram operum poenitentialium pro diversis peccatis. Quae normae, ab episcopis et conciliis emanantes, postea magis ac magis colligebantur et sic originem dederunt libris poenitentialibus medii aevi. Notae erant hoc tempore v. g. *S. GREGORII THAUMATURGI* (213 - c. 275): *Epistola canonica* (de peccatoribus tempore invasionis barbaricae); *DIONYSII ALEXANDRINI* (mortui c. 264): *Epistola ad Basilidem* (de variis quaestionibus disciplinaribus); *S. PETRI ALEXANDRINI* (m. 311): *Epistola canonica* (de lapsis). Ita etiam canones poenitentiales concilii *Illiberitani* (306), *Ancyrensis* (314) (fons praecipuus praxis poenitentialis huius temporis) et *Neocaesarensis* (314).

PERIODUS II: AUREA

(Ab edicto Constantini 313 - ad saec. VII)

Edicto Constantiniano pace Ecclesiae restituta mirabilis statim incipit evolutio ecclesiasticae doctrinae et litteraturae. Praesertim saecula IV et V iure merito propter splendidum ingenium auctorum atque profundam scientiam in scriptis effusam aetas aurea cognominantur. Ultimis tamen saeculis huius periodi scientia theologica ab hoc alto culmine decidit et opera producit, quae doctrina et pretio longe a prioribus superantur. Etiam hoc tempore in doctrina morali praevalet character paraeneticus et occasionalis, tamen a) iam

magis ac magis oriuntur elementa et methodus scientifica. b) Accuratioribus iam fiunt distinctiones virtutum, peccatorum et praeceptorum, peccati mortalis et venialis etc. c) Origine et evolutione status monachalis clarior distinctio fit inter statum praecepti et statum consilii, ideo et litteratura ascetica et mystica propria via incedere incipiunt in copiosis tractatibus de virginitate et de statu monachorum. d) Contactus intimus et universalis religionis christianae cum societate civili et vita publica doctrinam magis ad praxim trahunt, ita ut scriptores de singulis aspectibus et virtutibus ethicae christianae tractare incipiant.

Inter Patres quoad theologiam moralem maxime excellunt in Oriente S. *Basilius* et S. *Joannes Chrysostomus*, in Occidente S. *Ambrosius* et S. *Augustinus*.

S. *BASILIUS* (330 - 373) non vere scientificè de ethica christiana tractavit sed modo potius paraeneticè et oratorio: ita in *Homiliis*, praesertim in opere « *Moralia* » (80 praecepta christiana generalia et diversorum statuum fundata in textibus S. Scripturae) et in « *Regulae Juvius tractatae* » et « *Regulae brevius tractatae* » (compositae per modum catechismi, saepe casuisticè). Valde divulgatus erat tractatus paedagogicus « *Ad adolescentes quomodo possint ex gentilibus libris tractum capere* »: de usu litteraturae paganae, quae non semper mala est, sed adhiberi potest ad exercitium virtutum. Influxus S. Basilii magnus fuit in posteriores scriptores, praesertim Orientis. Doctrina et vigore eum vincit S. *JOANNES CHRYSOSTOMUS* (c. 344 - 407), qui in copiosis *Homiliis* et *Sermonibus* fere totam theologiam moralem pertractavit etiam tamen modo magis oratorio. Etiam in minoribus opusculis (quae de cetero sunt sermonis scripti) paraeneticè procedit, sicut *Contra circenses ludos*; *De elemosyna*; *Catechesis ad illuminandos*; *In Kalendas*; multa praeclara scripsit de paedagogia et educatione in opusculo « *De vanagloria et de liberis educandis* ».

Magis iam scientificè procedere incipiunt Patres Latini S. *Ambrosius* et S. *Augustinus*. S. *AMBROSIIUS* (333 - 397) ipse quoque generatim scribit modo oratorio et exhortativo in suis *Homiliis* et *Sermonibus* praesertim in Vetustissimo Testamento, quorum plures celeberrimi remanserunt sicut *Evaemeron libri VI*; *De Cain et Abel*; *De Noe*; *De Abraham* (liber I ad catechumenos est vera Cyropedia genuini christiani, liber II pro baptizatis de vita perfecta); *De Isaac et anima*; *De Jacob et vita beata*; *De Joseph patriarcha*; *Enarrationes in XII psalmos Davidicos*; *De Helia et ieiunio*; *Expositiones evangelii secundum Lucam libri X* etc. In maiore tamen opere « *De officiis ministrorum libri tres* » non quidem sine indole oratoria scripto, iam tendit ad quandam systematicam compositionem, ita ut saepius celebretur ut primus tractatus systematicus theologiae moralis. Opus conceptum est ut imitatio et simul perfectio christiana libri Ciceronis « *De officiis* », cuius methodum sequitur, historiae tamen paganae et doctrinae philosophorum substituens historiam et doctrinam sacram (in libro I agit de honesto, in II de utili, i. e. de eo quod prodest gratiae vitae aeternae, supernaturale naturali substituens, in libro III de eorum conflictu vel melius de ordine naturali supernaturali subiciendo. In libro I distinguuntur officia media et perfecta, media i. e. in Decalogo expressa, perfecta i. e. consilia; hic etiam tractat de virtutibus cardinalibus, paedagogice melior pars libri). Longe eum superat S. *AUGUSTINUS* (354 - 430), qui sicut pro theologia dogmatica ita etiam pro theologia morali multa saecula efficientia suae scientiae replevit. Opera generalia de ethica christiana non composuit, sed per omnia eius scripta passim dispersa apparet profunda eius doctrina moralis. Ita in operibus *contra Manichaeos*, de origine mali et de libera voluntate hominis, specialiter *De moribus Ecclesiae* et *De moribus Manichaeorum*; *contra Pelagianos*, de necessitate gratiae, de peccato originali eiusque effectu; de concupiscentia. Ita et in scriptis exegeticis, praesertim *Tractatus CXXIV in evangelium Joannis* et *Enarrationes in Psalmos*; sicut in *Epistolis* et *Sermonibus*. Minora opuscula v. g. *Enchiridion de fide, spe et charitate*; *De agone christiano*; *De continentia*; *De patientia*; *Speculum de Scriptura Sacra* Collectio textuum S. Scripturae de virtutibus et praeceptis). Multa scripsit de matrimonio christiano et in hac parte theologiae moralis fundamenta posuit omnis posterioris doctrinae: de bonis matrimonialibus, de indissolubilitate etc. Ita in *De nuptiis et concupiscentia* (malum in matri-

monio non est ex ipso matrimonio sed ex concupiscentia); *De bono coniugali*; *De bono viduitatis*; *De coniugiis adulterinis* (ubi etiam de privilegio Paulino). Particulariter adhuc notanda opuscula *De mendacio* et *Contra mendacium*, ubi docet mendacium nunquam licitum esse ne ad salvandam quidem animam proximi. S. Augustinus in doctrina sua theologica prae ceteris tendit ad coniunctionem ordinis ethici et metaphysici, ordinis obiectivi et moralis: omnia fundentur in veritate. Continuo tamen urget et exaltat primatum charitatis in omni actu humano ut oppositionem contra concupiscentiam.

Praeter hos maiores huius periodi auctores multi alii Patres de ethica christiana scripserunt et optime meriti sunt, generatim in suis *Homiliis*, *Sermonibus* et *Epistolis*, sicut v. g. S. GREGORIUS NAZIANZENSIS (c. 330 - 390) (qui etiam plura composuit *Carmina moralia*); S. GREGORIUS NYSSENUS (c. 394); S. CYRILLUS ALEXANDRINUS (c. 370 - 444) (nota etiam eius *D spiritu et veritate*); APRHAATES (saec. IV); S. EPHRAEM SYRUS (c. 306 - 373); S. HIERONYMUS (340 - 420); S. LEO MAGNUS (m. 461). Notari debet etiam CASIANUS (c. 360 - 435) qui opusculo suo *De institutis coenobiorum et de octo principaliorum vitiorum remediis* initium dedit copiae tractatum vel summarum de virtutibus et vitiis, quae per totum medium aevum primo paraenetice, postea etiam modo scientifico componuntur. Multum influxum in posteriora saecula exercuit S. GREGORIUS MAGNUS (c. 540 - 604), qui in suis *Homiliis* et praesertim in opere *Expositio in beatum Job* (vel *Moralia*) incubuit in evolvendam doctrinam S. Augustini eamque populo adaptandam.

Quoad obiecta specialia tractata eo tempore notanda est i. a. copia scriptorum de recto usu divitiarum, de amore pauperum et contra usuram; praeter fere continuas exhortationes passim in variis sermonibus et homiliis, ex professo de hisce agunt: S. BASILIUS: *Homilia in Ps. 14*; *Homilia de usu divitiarum*; S. GREGORIUS NAZIANZENSIS: *Oratio 14^a de pauperum amore*; S. GREGORIUS NYSSENUS: *Oratio contra usurarios*; *Oratio de pauperibus amandis*; S. AMBROSIUS: *De Tobia* (contra usuram); *De Nabuthe* (contra avaritiam); SALVIANUS: *Libri IV ad Ecclesiam*. Praeclarissima quoque scripta sunt de sacerdotio eiusque officiis; celebriores sunt: S. GREGORIUS NAZIANZENSIS: *Oratio 2^a* (apologetica de seipso) *de fuga et reditu*; S. JOANNES CHRYSOSTOMUS: *De sacerdotio* (et plura alia scripta specialia contra abusus clericorum); S. CYRILLUS ALEXANDRINUS: in *De Spiritu et veritate* Libri XI-XIII; S. EPHRAEM SYRUS: *Hymni de sacerdotio*; S. GREGORIUS MAGNUS: *Regula pastoralis*.

Opera ex professo casuistica hoc tempore pauca vel nulla scripta sunt, sed cuiusque legenti patet Patres in suis homiliis et sermonibus saepius casuisticae circumstantiis particularibus regulas generales applicare. Specialem attentionem merentur sub hoc aspectu epistolae canonicae, quae etiam hoc tempore non deficiunt, sicut v. g. notissimae epistolae S. BASILII: *Ad Amphiloichium*, quae praeter poenitentias imponendas quandoque praesentant proprie dictam casuisticam, de voluntario etc. (ex his epistolis postea collecti sunt canones poenitentiales, qui in multas collectiones canonicas recepti sunt). Ita et *Epistola canonica* S. GREGORII NYSSENI quae etiam plura sat scientificè exponit v. g. de distinctione inter adulterium et fornicationem, de voluntario etc. Etiam multa concilia particularia, immo et ipsum Concilium Nicaenum (325), semper novos canones poenitentiales constituebant, qui in diversis collectiones assumpti, ubique divulgabantur.

In fine huius periodi, tempore decadentiae, iam apparent primi praecursores methodi scholasticae. Scientia theologica novos progressus iam non facit, scriptores ecclesiastici non eminent proprio originali ingenio et inventionem sed magis incumbunt in colligendo dicta priorum Patrum, praesertim S. Augustini et S. Gregorii Magni, illaque quodammodo ordinanda: componuntur primi *libri sententiarum*, qui paulatim viam ad solidum systema classicum praeparabunt. Ita v. g. S. MAXIMUS (c. 580 - 662): *Capita de caritate* (400 sententiae Patrum); S. JOANNES DAMASCENUS (fine saec. VII - c. 750): *Sacra parallela* (ex S. Scriptura et Patribus). Eminent praesertim S. ISIDORUS (c. 570 - 636) qui suo *Sententiarum lib. tres* primum manuale scholasticum composuit (in libro II et III agit de theologia morali in genere et in specie); vel magis systematicè TAIUS CAESARAUGUSTANUS (saec. VII): *Sententiarum libri quinque* (moralia in libro II - V),

EPOCHA SECUNDA

SCHOLASTICA - SYSTEMATICA

(A SAEC. VII AD PSEUDO-REFORMATIONEM)

Primis saeculis theologiae positivae successit epocha systematica, in qua materiae a SS. Patribus copiose productae et elaboratae magis ac magis in systema componuntur. Theologia considerari coepit non tantum ut aedificatio et solamen vitae in profectum virtutum, sed pro clero semper numero crescente aliisque studiosis fiebat etiam vera scientia secundum determinata principia gradatim addiscenda et excolenda, primum in scholis abbatialibus et capitularibus, postea praesertim in Universitatibus. Hoc modo systema oriebatur sat fixum, ubique applicatum, quod progrediente tempore introductione dialecticae deinde etiam metaphysicae Aristotelicae ad perfectionem perductum nomen accepit scholasticae. Quia autem theologia considerabatur ut quid unum, continuum, licet usus theologiae moralem etiam separatim docendi sensim sine sensu magis invalesceret, tamen praestantiores auctores systematici sunt moralistae simul et dogmatici et partem moralem iniungunt in totum systema theologicum.

PERIODUS I: PRAESCHOLASTICA

(Saec. VII - saec. XII)

Haec periodus praeparatoria propter scholas quae fundari coeperant iam aetati scholasticae praeludit; sed adhuc est magis receptiva traditionis Patrum atque vigeat methodus praesertim exegetica et compilatoria. Licet iam aliqua dialectica adhibeatur, praesertim in quaestionibus particularibus, tamen magis quam ratio valet semper auctoritas, praeceteris S. Augustini et S. Gregorii Magni. Libri sententiarum et florilegia huius temporis viam sternunt a S. Isidoro et Taio ad libros sententiarum vere scholasticos.

Opera generalia potius paraenetice et cum scopo practico, systematicae tamen doctrinam Patrum colligunt de virtutibus et vitiis, de officiis hominum et de tota ethica christiana. Sic. v. g. DEFENSOR (Locociagensis monachus) (fine saec. VII): *Scintillarum Liber*; MARTINUS BRACARENSIS (Dumiensis) (post medium. saec. VII): *Formula vitae honestae* (pro magna parte ex Seneca); S. PAULINUS AQUILEIENSIS (c. 745 - 802): *Liber exhortationis*; ALCUINUS (c. 730 - 804): *Liber de vitiis et virtutibus*; JONAS AURELIANENSIS (c. 775 - 843): *De institutione laicali*; RHABANUS MAURUS (c. 780 - 856): *De ecclesiastica disciplina* (in libro III); RATHERIUS VERONENSIS (c. 890 - 974): *Praeloquiorum libri sex*.

Notabilem influxum in evolutionem theologiae moralis, praesertim casuisticae, exercuerunt collectiones iuridicae canonum et decretorum: a) quia etiam multa praecepta moralia continebant; b) quia paulatim ad bonum systema se evolvebant; c) quia ad resolvendas contradictiones canonum et decretorum diversorum Pontificum et Conciliorum, his temporibus semper magis occurrentes, viam aperuerunt elemento rationis, methodo dialecticae (consonantia, concordantia canonum). Ita i. a. *Collectio Hibernensis* (fine saec. VII-initio saec. VIII); *Collectio Hispana systematica* (c. saec. VIII); *Collectio REGINONIS PRU-*

MIENSIS: *Libri duo de synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis* (c. 906) (manuale pro visitatione dioeceseos et iudicio); BURCHARDI WORMATIENSIS: *Decretum* (c. 1012); S. IVONIS CARNUTENSIS (c. 1040 - 1116): *Decretum* et praesertim *Panormia*.

Magis adhuc spiritu practico-pastorali et casuistico imbuti erant sic dicti *Libri Poenitentiales*, qui orti in Hibernia et Anglia, ubi poenitentia publica non erat in usu, a missionariis in Galliam et Germaniam introducti, brevi tempore tantopere diffundebantur, ut fere quisque confessarius aliquem inter libros manuales teneret. Continent praesertim normas ad applicandam poenitentiam pro determinatis peccatis, quandoque tamen descendunt ad veram casuisticam, licet parum scientificam. Magis noti erant: S. COLUMBANUS: *De poenitentiarum mensura taxanda* (c. 600); CUMMIANUS: *Liber de mensura poenitentiarum* (circa medium saec. VII); *Iudicia Theodori Episcopi Cantuariensis* (fine saec. VII - initio saec. VIII); Liber I *Collectionis Dacherianae* (fine saec. VIII - initio saec. IX); *Collectio Quadrupartita* (initio saec. IX). Qui tamen libri poenitentiales, cum praeter normas conciliorum et Pontificum saepe etiam privatas continerent vel incertae originis et sic complures laxi et erronei libri apparerent, qui disciplinam in Gallia et Germania, de cetero iam diversam ab Hibernica et Anglica, perturbare inciperent, concilia saepius contra eos decreta tulerunt. HALITGARUS, ut disorderi remedium afferret, novum poenitentiale composuit magis conforme normis canonicis: *De vitiis et virtutibus* (829) (prima pars doctrinalis), quod tamen desideratum effectum non obtinuit. Manuale valde practicum et valde divulgatum erat sic dictus: *Corrector*, i. e. Liber IX *Decreti* BURCHARDI WORMATIENSIS. Libri poenitentiales nova oppositione, praesertim ecclesiae Romanae saeculo IX (S. Petri Damiani, Card. Attonis etc.) et introductione Summarum de poenitentia, paulatim valorem et influxum amiserunt; multa elementa tamen in collectiones iuridicas transierunt (v. g. Ivonis et Gratiani).

Inter materias speciales, quae hac periodo frequentius tractabantur, notanda sunt: a) Opera de moribus clericorum, praesertim contra simoniam et concubinatum: CARD. HUMBERTUS (m. 1061): *Adversus simoniacos libri tres*; S. PETRUS DAMIANUS (1006 - 1072): *Liber gomorrhianus* et *Contra intemperantes clericos*; CARD. DEUSDEDIT (m. c. 1098): *Contra invasores et simoniacos et reliquos scismaticos*. b) Opera contra superstitionem vulgarem, reliquias idololatriae paganae: AGOBARDUS (779 - 840): *De grandine et tonitruis*; RHABANUS MAURUS: *De magicis artibus*.

PERIODUS II: INITIUM SCHOLASTICAE

A saec. XII [S. Anselmus] ad saec. XIII [Conc. Lat. IV]

Cum S. Anselmo incipit modo definitivo, nonobstante initiali oppugnatione, usus methodi scholasticae, i. e. usus rationis speculativae in theologia, et quidem modo scholis adaptato: obiectio, disputatio, distinctio ad resolvendas contradictiones (methodus « sic et non »). Philosophia huius temporis etiam magis dependet a S. Augustino, dum pro dialectica adhibetur logica aristotelica. Ut fundamentum theologiae semper praevaleret auctoritas S. Scripturae et Patrum.

Unus ex primis scriptoribus litteraturae sententiarum est HUGO A S. VICTORE (1096 - 1141): *De sacramentis christianae fidei* (ubi de moralibus praesertim in libro II). Magis spiritu scholastico confecta: *Summa sententiarum* (antea Hugoni adscripta sed probabiliter non est eius), ubi de ethica in Tract. III. De creatione et statu humanae naturae, Tract. IV De sacramentis in generali et de praeceptis divinis, Tract. VII De Sacramento coniugii. Deinde PETRUS ABABARDUS (1079 - 1142): *Sic et non*, ubi pro unaquaque thesi contradictorias auctoritates opponit, de re morali maxime in ultima parte. ROBERTUS PULLUS (c. 1080-

c. 1150): *Sententiarum libri VIII*. Praesertim tamen PETRUS LOMBARDUS (initio saec. XII - c. 1160): *Sententiarum libri IV*, liber manualis theologiae medii aevi, innumeris commentariis auctus, inter quos celeberrimi in sequenti periodo Alexandri Halensis, S. Alberti Magni, S. Thomae, Scoti, S. Bonaventurae. De theologia morali agitur praesertim in tractatibus de peccatis, de virtutibus et praeceptis, de sacramentis. Inter Lombardi discipulos in hac periodo eminet PETRUS PICTAVIENSIS (c. 1130 - 1205): *Sententiarum libri V*.

De sola theologia morali modo scholastica scripserunt praesertim HILDEBERTUS LAVARDINUS (Cenomanensis) (1056 - 1133) *Moralis philosophia* (de honesto et utili) ubi multa ex philosophis paganis. ABELARDUS: *Ethica* seu *Scito teipsum*, opus systematicum de peccatis in genere eorumque reconciliatione, in specie per confessionem. Magis indole periodi transactae PETRUS CANTOR (m. 1179): *Verbum abbreviatum*, opus de virtutibus et vitiis. Specialem locum hoc tempore obtinet S. BERNARDUS (1090 - 1153) qui novae methodo scholasticae non nimis addictus de moralibus magis scripsit modo Patrum antiquorum, sicut in: *De consideratione*; *De moribus et officio episcoporum* etc.

Etiam in collectionibus iuridico-moralibus hoc tempore methodus concordantiae rationalis ad definitivum systema pervenit. Sic ALGERIUS LEODIENSIS: *De misericordia et iustitia* (c. 1106), iam magis tractatus quam collectio; praesertim GRATIANUS: *Decretum* (Concordantia discordantium canonum) (c. 1140).

PERIODUS III: AUREA

(*Saec. XIII [Conc. Lat. IV 1215] ad saec. XIV*)

Haec periodus summi splendoris theologiae dogmaticae est et periodus insignioris evolutionis theologiae moralis, quia intime cum illa coniuncta de eius methodo et perfectione communicabat. Hinc elementa, quae huic splendori viam aperuerunt, sunt fere communia: a) Felix exitus Concilii Lateranensis IV (1215) pro scientiae et morum renovatione. b) Origo novorum Ordinum Mendicantium, qui et spiritu et membris magnum influxum in theologiam exercuerunt. c) Erectio Universitatum, quae pro profundiore cultu scientiarum magis quam scholae abbatiales et capitulares perfectius elaboraverunt systema paedagogico-scientificum. d) Introductio philosophiae Aristotelicae etiam pro metaphysica et ethica. Praesertim pro theologia morali, quoad doctrinam de virtutibus et passionibus etc. magnum influxum habuerunt versiones *Librorum Ethicorum* Aristotelis et prae ceteris commentarii S. Alberti Magni et S. Thomae, qui doctrinam paganam philosophicam novo aspectu ditarunt introductione principiorum christianorum supernaturalium.

Opera magis insignia huius temporis sunt vel commentarii in IV Libros Sententiarum Petri Lombardi, vel Summae Theologicae quae modo aliquatenus diverso procedebant. Inter auctores maioris nominis enumerandi sunt: ALEXANDER HALENSIS (c. 1170 - 1245), Doctor irrefragabilis: *Summa universae theologiae*, opus huius generis omnium amplissimum, a discipulo completum; est commentarium in Petrum Lombardum. GULIELMUS ANTISSIODORENSIS (m. 1251): *Summa aurea* (commentarium in Petrum Lombardum); S. ALBERTUS MAGNUS (c. 1193 - 1280), Doctor universalis: *Commentarium in quatuor libros Sententiarum*; atque *Summa theologica* (tantum duae primae partes sese referentes ad 2 libros P. Lombardi); S. BONAVENTURA (1221 - 1274), Doctor Seraphicus: *Commentarii in quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi* (omnium optimum commentarium in quo tamen multa deprompsit ex Alexandro Halensi), *Breviloquium* (compendium operis maioris). Inter omnes eminet S. THOMAS AQUINAS (c. 1226 - 1274), Doctor Angelicus, qui operibus

suis: *In quatuor libros Sententiarum, Summa contra Gentiles*, sed praesertim *Summa theologica* (moralia in Parte II) opus immortale, usque ad nostros dies nunquam superatum, perenne fundamentum theologiae et dogmaticae et moralis reliquit. JOANNES DUNS SCOTUS (c. 1265 - 1308), Doctor subtilis: *Commentarium in IV libros Sententiarum*; PETRUS AUREOLUS (m. 1322), Doctor facundus: *Commentarii in IV libros Sententiarum*; GULIELMUS DURANDUS A S. PORCIANO (c. 1275 - 1334), Doctor resolutissimus: *Commentarii in IV libros Sententiarum*.

Licet omnes hi theologi in operibus suis utantur philosophia Aristotelica, id praestant tamen in diverso gradu. Duae tendentiae magis sese opponebant: tendentia Aristotelica stricto sensu, quam secuta est maior pars theologorum ducibus S. Alberto M. et S. Thoma; ab alia parte tendentia Augustiniana, cui adhaerent: S. Bonaventura, Henricus Gandavensis (m. 1293) (Doctor solemnis), Scotus (qui huic tendentiae proprium sigillum impressit), Durandus etc. Quoad theologiam moralem prior tendentia est magis metaphysica, obiectiva, intellectualistica, posterior magis subiectiva, voluntaristica, affectiva. Priores in determinando bono et malo magis insistunt in elemento obiectivo (natura rerum), alii magis, non tamen exclusive, in elemento subiectivo (voluntate Dei et hominis intentione).

Quamvis theologia moralis praecipue tractetur coniuncta cum dogmatica; attamen non deficiunt opera quae ad solam ethicam se limitant. Iam in pluribus opusculis minoribus monographicis speciales aspectus tractantur, praesertim in notis *Quaestionibus disputatis et Quodlibetalibus*, quales scripserunt S. THOMAS, S. BONAVENTURA, HENRICUS GANDAVENSIS, SCOTUS e. a. Sed etiam in operibus magis extensis et systematicis unice de materia morali agitur: ita GULIELMUS DE MELITONA (m. c. 1260): *Summa de virtutibus et vitiis*. Ita etiam *Speculum morale* (quod antea attribuebatur Vincentio Bellovacensi sed est initii saec. XIV). Multa de re morali scripsit opusculis minoribus GULIELMUS ALVERNUS (m. 1249): *De fide; De virtutibus; De moribus; De vitiis et peccatis; De tentationibus et resistentiis; De sacramento poenitentiae* etc.

Maximum momentum habet haec periodus pro theologia morali casuistica origine et celeri propagatione *Summarum de poenitentia*. Magis enim in dies patebat necessitas bonorum librorum manualium pro sacerdotibus etiam minus instructis in exercendo officio confessarii, praesertim cum Conc. Lateran. IV confessionem annuam obligatoriam reddidisset. Non iam sufficebant necessitatibus temporum antiqui libri poenitentiales, sed desiderabantur veri tractatus cum solutionibus practicis casuum earumque principiis. Initium huic litteraturae dedit ROBERTUS A FLAMESBURY cum suo *Poenitentiale* (c. 1210), quem alii multi secuti sunt, sicut v. g. PAULUS DE HUNGARIA: *Summa de Poenitentia* (c. 1220). Maiorem influxum in posteriora opera huius generis habuit S. RAYMUNDUS A PENAFORTE (c. 1175 - 1275): *Summa de poenitentia et matrimonio*, quae ubique diffusa exemplo exstitit fere omnibus sequentibus. Dividitur in tres libros: tractantur in libro I peccata contra Deum, in libro II peccata contra proximum, in libro III de clericis. Est tamen tractatus brevis nec completus. Maiore iam apparatu scientifico et speculativo scripserunt JOANNES FRIBURGENSIS (m. 1314): *Summa confessorum* et praesertim ASTESANUS: *Summa de casibus conscientiae* (Astensis) (c. 1317), qui iam tractat de tota fere theologia morali, licet ordine non valde perfecto et logico.

Eodem modo propagari incipiunt opuscula adhuc magis practica de modo concretae administrationis sacramenti Poenitentiae, de interrogationibus, de satisfactione, de dolore provocando, de modo confitendi etc. Iam saeculis peractis non defuerunt sicut v. g. ALANI AB INSULIS (c. 1120-1202): *Liber poenitentialis*, sed nunc maiore copia apparent, sicut inter alia multa scripserunt S. BONAVENTURA: *De modo confitendi*; S. THOMAS: *De modo confitendi et puritate conscientiae*.

PERIODUS IV: DECADENTIAE

(Ab initio saec. XIV ad pseudo-reformationem)

Haec periodus etsi gloriari possit de auctoribus non parvi ingenii, tamen in genere decadentiam manifestat scientiae theologicae. Opera saepe revelant defectum originalitatis et profunditatis, relicto elemento positivo (S. Scriptura et Patribus) magis descendunt ad disputationes et cavillationes inutiles cum infinitis distinctionibus, divisionibus etc. Causae decadentiae erant a) morales: decadentia morum, perturbatio ordinis publici gravibus ortis dissidiis inter Ecclesiam et Statum, inter ordines religiosos, lites de paupertate, schisma occidentale etc.; b) scientificae: praesertim introductio et celeris propagatio Occamismi, qui originem dedit multis erroribus et doctrinis haereticis. Quoad theologiam moralem Occamismus seu Nominalismus negabat ordinem ethicum universalem obiectivum, quippe qui omnino dependeat a voluntate positiva Dei; leges obiectivae immutabiles non existunt, quia Deus omnes libere mutare potest, sicut libere hominem bonum in infernum detrudere.

Defensores Nominalismi (licet non omnes istis erroribus indulgeant) sunt v. g. GULIELMUS OCCAM (c. 1300 - c. 1349), Doctor singularis, fundator huius scholae: *Quaestiones et decisiones in quatuor libros Sententiarum*; PETRUS ALLIACENSIS (1350 - 1420): *Quaestiones super libros Sententiarum*; GABRIEL BIEL (c. 1418-1495): *Collectorium sive Epithoma in IV libros Sententiarum*; ita etiam JOANNES GERSON (1363 - 1420) qui tamen de ethica scripsit in opusculis minoribus: *Opusculum tripartitum de praeceptis decalogi, de confessione et arte moriendi*; *De vita spirituali animae*; *Regulae morales*; *Tractatus de passionibus animae* etc.

Sicut etiam adhuc Augustinianismus et Scotismus suos sequaces habebant, ita et Thomismus propugnatoribus non carebat, inter quos HERVAEUS NATALIS (m. 1323): *In quatuor Petri Lombardi libros Sententiarum* (aliaque opera minora); praesertim JOANNES CAPREOLUS (m. 1444), princeps thomistarum: *Defensiones theologiae Divi Thomae Aquinatis*.

Inter moralistas huius periodi certo longe eminent S. ANTONINUS (1389 - 1459) qui primus omnium theologiam moralem completam, systematice dispositam, composuit. Multa praesertim speculativa, deprompsit ex aliis theologis, speciatim ex S. Thoma. Opus eius: *Summa theologiae moralis* dividitur in 4 partes: 1) De anima eiusque potentiis, de peccatis et legibus in genere; 2) De septem vitiis capitalibus; 3) De diversis statibus hominum; 4) De virtutibus cardinalibus et theologiceis atque de donis Spiritus Sancti. Hoc opus fundamentum factum est posteriori litteraturae morali et per plura saecula maximum influxum exercuit.

Quoad cetera scripta moralia huius periodi prosequitur adhuc series operum de virtutibus et vitiis, de praeceptis etc. Ita v. g. JOANNES NIDER (c. 1380 - 1438), unus ex melioribus moralistis huius temporis: *Praeceptorium divinae legis* (notandum etiam eius *Formicarius*); HENRICUS HARPHIUS (m. 1477): *Speculum aureum decem praeceptorum Dei*; HIERONYMUS SAVONAROLA (1451 - 1498): *Expositio Decalogi*.

Maiorem valorem et practicum influxum habebant aliae *summae casuum* seu de poenitentia, exempla periodi transactae imitantes forma magis brevi, saepe alphabetica; ita *Summa casuum conscientiae*, dicta *Angelica*: B. ANGELI DE CLAVASIO (m. 1495); *Summa casuum conscientiae*, dicta *Rosella*: BAPTISTAE TROVAMALA (m. 1496); *Summa Summarum*, dicta *Sylvestrina*: SYLVESTRI PRIERIAS (1456 - 1523). Manualia magis practica pro confessione: S. JOANNES a CAPISTRANO (1386 - 1456): *Instructio seu Directio simplicium sacerdotum*; S. ANTONINUS: *Summa confessionalis*; SAVONAROLA: *Manuale confessorum*; GERSON: *De arte audiendi confessiones*; *De remediis contra recidivum peccati*.

Notandae sunt aliquot materiae speciales quae hoc tempore maiore studio et diligentia tractabantur. a) Pugna iam per plura saecula protracta contra superstitionem magis accrescit operibus contra artem magicam et maleficium; principales sunt: PETRUS ALLIACENSIS: *Liber de concordia astrologiae et theologiae* aliaque opuscula; GERSON: *Trilogium astrologiae theologizatae*; *De erroribus circa artem magicam et articulis reprobatis*, aliaque; SAVONAROLA: *Contra astrologiam divinatricem*; NIDER: *De maleficis eorumque deceptionibus*. Eminent inter ea famosus liber JACOBI SPRENGER et HENRICI INSTITORIS: *Malleus maleficarum* (1487).

b) Hoc tempore incipiunt opera quae postea magis ac magis mole et doctrinae profunditate se evolvunt: de iustitia. Evolutione enim vitae oeconomicae et commercialis in dies crescebant quaestiones de commercio, de contractibus, de fœnore et de usura etc. Moralistae huius temporis saepius optime instructi apparent in materia oeconomica, inter quos eminent S. ANTONINUS in magno suo opere *Summa theologiae moralis*. Alii magis conspicui: NIDER: *De contractibus mercatorum*; S. JOANNES A CAPISTRANO: *De usura et contractibus*; GABRIEL BIEL: *De monetarum potestate simul et utilitate*; ANGELUS DE CLAVASIO: *De restitutionibus*; extense et docte scripsit: CONRADUS SUMMENHART (c. 1455-1502): *Septipartitum opus de contractibus*.

EPOCHA TERTIA

CASUISTICA

(A PSEUDO-REFORMATIONE AD DIES NOSTROS)

Quae iam magis in dies introduci coepit separatio theologiae moralis a dogmatica, in hac nova epocha fit nota characteristicam atque hoc modo magis quam antea definitive introducitur methodus casuistica. Iam ex litteratura hucusque enumerata clare patet casuisticam nunquam in Ecclesia defuisse; et quidem considerata ratione et fine eius practico deesse non debuit nec potuit. At saeculis praeteritis intima coniunctio cum theologia dogmatica causa erat, cur in scientifica tractatione rerum moralium magis adhiberetur methodus speculativa, ita ut practica et casuistica applicatio ut disciplina specialis per viam incederet aliquatenus independentem. In hac autem epocha separatione facta tota theologia moralis fit magis practica, characterem induit casuisticum i. e. in tota tractatione, etiam si speculative procedit, tamen tendentia est semper ad praxim, quae ut finis directus praee oculis habetur. Separatio optimum effectum habuit, quatenus exinde quaestiones morales magis extense et profunde quam antea tractari coeperunt et modo magis ad scopum adaptato; damnum tamen erat, quod saepius principia speculativa nimis negligebantur et cum detrimento characteris supernaturalis indoles theologiae fiebat nimis iuridica et via aperiebatur laxismo.

PERIODUS I: AUREA

(A pseudo-reformatione ad medium saec. XVII)

Scientia theologica resurgens ex statu morbido saeculi elapsi sub impulsu renovatae scholasticae, praesertim in Hispania, brevi tempore ad culmen ascendit et monumenta litteraria immortalia erexit. Huius benefici progressus potiores causae sunt:

a) Haereses recenter exortae doctores impellebant, ut novo impetu et acriore in-

genio doctrinam catholicam investigarent et elucidarent. Maximum incrementum huic tendentiae dedit Concilium Tridentinum (1545 - 1563) quod doctrinae securitatem et morum integritatem restituens verae reformationis fundamenta posuit.

b) Polemica contra haereticos ad novum induxit studium positivum traditionis et doctrinae Patrum.

c) Novi instituuntur ordines religiosi, praesertim Societas Jesu, antiqui reducuntur ad pristinum vigorem, qui eximiis et integerrimis doctoribus Ecclesiam ornaverunt.

d) Simili modo erectio novarum universitatum et reformatio antiquarum novam vitam studio theologico infudit.

e) Inventio artis typographicae lata et expedita diffusionem librorum maius incrementum dedit propagationi et penetrationi doctrinae catholicae.

Habet haec periodus primordium suum *praeparatorium*, decurrens ab initio *pseudo-reformationis usque ad finem Concilii Tridentini* (1563); in quo renascitur scientia theologica et ad splendorem suum ascendit, quo quidem separatio theologiae moralis a dogmatica iam aliquatenus apparet sed nondum complete ad perfectionem deducitur. Fundamentum operum huius temporis iam non sunt Libri Sententiarum Petri Lombardi sed scriptores commentantur praecipue Summam theologicam S. Thomae. Pro theologia morali auctores maioris nominis commentaria separata conficere incipiunt in *II-II*, partem moralem Summae theologiae, quae generatim tamen hucusque inedita remanserunt. Ita FRANCISCUS DE VITORIA O. P. (c. 1480 - 1546), etiam auctor celeberrimi operis: *Relectiones XII theologiae*, fundamentum scholasticum doctrinae de iure gentium. Ita et DOMINICUS SOTO O. P. (1494 - 1560), MELCHIOR CANO O. P. (1509 - 1560), cuius notanda etiam *Relectiones de sacramentis in genere et de poenitentia*. Ex operibus generalibus de tota theologia dogmatica cum morali coniuncta eminent classica commentaria in S. Thomam: CARD. CALETANUS O. P. (1469 - 1534) in *Summam theologicam* (notanda etiam plura eius opera minora: *De praecepto eleemosynae; De usura; De confessione venialium et omnium mortalium*; atque alphabetica et brevis *Summula de peccatis*), et FRANCISCUS SYLVESTER FERRARIENSIS O. P. (c. 1477 - 1538) in *Summam contra Gentiles*. Auctor magni valoris est etiam CONRADUS KOELLIN O. P. (1476 - 1538): *Expositio commentaria in I-II; Quodlibeta*.

Vera periodus aurea etiam pro theologia morali casuistica currit a fine Concilii Tridentini (1563) usque ad tempus decadentiae et dissidiorum circa medium saeculi XVII. Litteratura theologica pro magna parte est polemica contra protestantes, sed licet talia opera valore pro re morali non careant (v. g. pro quaestionibus de libero arbitrio, de necessitate honorum operum, etc.), tamen magis sunt indole dogmatica et nova elementa positiva pro ethica pauca tantum afferunt. Opera quae positive de theologia morali tractant dividi possunt in duplicem, classem: a) illa quae adhuc methodo antiqua moralia simul cum dogmaticis tradunt, b) illa quae exclusive agunt de theologia morali.

Auctores primae categoriae sequuntur generatim Summam theologicam S. Thomae et quidem vel commentariis proprie dictis vel modo magis libero Summae ordinem sequentes proprios tractatus scribunt magis vel minus adhaerentes menti Doctoris Angelici. Scholae Dominicanae et Societatis Jesu, quae in dogmaticis acriter se oppugnabant, hac periodo in theologia morali non notabiliter differunt, usquedum postea orietur polemica de probabilismo. Auctores magis notandi i. a. BARTHOLOMAEUS A MEDINA O. P. (1527-1581): *Commentarium in I-II et III S. Thomae*; FRANCISCUS TOLETUS S. J. (1532-1596): *In summam theologiae S. Thomae Aquinatis enarratio*; DOMINICUS BAÑEZ O. P. (1528-1604): *Scholastica commentaria*; GABRIEL VASQUEZ S. J. (1551 - 1604): *Tractatus varii in Summam theologicam, de moralibus praesertim in I-II: De actibus humanis; De legibus; in II-II et III et quaedam opuscula minora: De eleemosyna; De restitutione; De testamentis etc.*; JOANNES A S. THOMA O. P. (1589 - 1644): *Cursus theologicus*. Inter omnes eminent FRANCISCUS SUAREZ S. J. (1548 - 1617), Doctor eximiis, unus ex maioribus theologis post medium aevum, qui sub omni aspectu scientiam ecclesiasticam profundo animi ingenio

illustravit. Ex eius operibus, quae spiritu liberiore sequuntur materiam Summae theologiae, moralia continent praesertim: *De ultimo fine; De triplici virtute theologica; De sacramentis et censuris* et prae ceteris classica scripta: *De legibus* et *De virtute et statu religionis*.

Maiore alacritate et vigore colitur tamen hac periodo theologia moralis in operibus independentibus et specificis moralibus, quae non raro acri ingenio composita fundamentalia permanserunt pro saeculis posterioribus. Quaedam et quidem meliora scripta sunt modo organico et systematico sicut opera dogmatica, alia libere procedunt per modum resolutionis casuum, omnia tamen spiritu casuistico. Inter auctores magis classicos hos enumerare licet: MARTINUS DE AZPILCUETA (Doctor NAVARRUS) (1493-1586): *Manuale sive Enchiridion confessoriorum et poenitentium*; GREGORIUS SAYRUS O. S. B. (1570-1602): *Clavis regia sacerdotum; Flores decisionum sive casuum conscientiae; De sacramentis in communi*; JOANNES AZOR S. J. (1536-1608): *Institutiones morales*; THOMAS SANCHEZ S. J. (1550-1610) celeberrimus et solidissimus in opere classico: *De S. Matrimonii sacramento*, nonnunquam nimis benignus in aliis operibus: *Opus morale in praecepta decalogi; Consilia seu opuscula moralia*; VALERIUS REGINALDUS S. J. (1543-1623): *Praxis fori poenitentialis; Compendiaria praxis difficiliorum casuum conscientiae* etc.; FERDINANDUS DE CASTRO PALAO S. J. (1581-1633): *Opus morale de virtutibus et vitiis contrariis*; MARTINUS BONACINA (c. 1585-1631): *Theologia moralis*; PAULUS LAYMANN S. J. (1575-1635): *Theologia moralis*. Latissima diffusione gaudebat opus HERMANNI BUSEMBAUM S. J. (1609-1558): *Medulla theologiae moralis*, quod usque ad annum 1776 apparuit in 200 editionibus et a S. Alfonso commentariis auctum substratum praebuit eius magno operi morali.

Circa materias speciales his temporibus particulari mentione digna sunt multa eaque magna opera de Iustitia, quae iam abundantem litteraturam periodi anteaetate maiore scientia et penetratione continuant. Notanda sunt plura quae semper classica in materia remanebunt: DOMINICUS SOTO O. P.: *De Iustitia et Iure*; LUDOVICUS MOLINA S. J. (1535-1600): *De Iustitia et Iure*; DOMINICUS BAÑEZ O. P.: *Decisiones de Iustitia et Iure*; JOANNES DE SALAS S. J. (1553-1612): *In II-II De contractibus*; LEONARDUS LESSIUS S. J. (1554-1623): *De iure et iustitia ceterisque virtutibus cardinalibus*; ANTONIUS PEREZ S. J. (1599-1649): *De iustitia et iure, de restitutione et de poenitentia*. Inter eos eminent JOANNES DE LUGO S. J. (1583-1660), qui praesertim propter opus: *De Iustitia et Iure* a S. Alfonso vocari meruit theologus post S. Thomam facile princeps. Alia eiusdem opera moralia: *De virtute et sacramento poenitentiae* et *Responsorum moralium libri VI*.

PERIODUS II: DECADENTIAE

(A med. saec. XVII ad med. saec. XIX)

Sicut semper, huic periodo aureae theologiae moralis subsecuta est decadentia scientifica. Causae plus minusve hae assignari possunt: a) Casuistica post periodum eximii sui vigor paulatim incidere incipit in defectus iam supra indicatos, magis ac magis relinquit solida principia scholastica speculativa et fere unice occupatur solutionibus mere practicis et iuridicis cavillationibus, declinans hoc modo a rectitudine fundamenti et seriatim intentione docendi mores eosque corrigendi.

b) Ab altera parte huic laxismo sese opposcentes, sive catholici, sive iansenistae, in oppositum saepe errorem nimii rigoris inciderunt.

c) Studium auctorum catholicorum, qui correctioni morum operam dederunt pro magna parte absorbetur continuis dissidiis de probabilismo.

Hac periodo non quidem defuerunt moralistae insignes nec spernendi: THEOLOGI SALMANTICENSIS O. Carm. praeter celeberrimum opus *Cursus theologicus Summam Divi Thomae complectens* (1631.-1701), opus extensione et elaboratione classicum scholae thomisticae, etiam composuerunt separatim *Cursus theologiae moralis* (1665-1724); ANACLETUS REIFFENSTUEL O. F. M.: *Theologia moralis* (1692-1698); CLAUDIUS LACROIX S. J.: *Theologia moralis* (Commentarium in Hermannum Busembaum) (1710-1714); PAULUS GABRIEL ANTOINE S. J.: *Theologia universa* (1726); CONSTANTIUS RONCAGLIA: *Universa theologia moralis* (1730); JOANNES REUTER S. J.: *Theologia moralis quadripartita* (1750); *Neoconfessarius practice instructus* (1750); EDMUNDUS VOIT S. J.: *Theologia moralis* (1750); EUSEBIUS AMORT: *Theologia eclectica moralis et scholastica* (1752); *Theologia moralis inter rigorem et laxitatem media* (1757); *Ethica christiana* (1758); BENIAMINUS ELBEL O. F. M.: *Theologia moralis decalogalis et sacramentalis* (1759). Theologia moralis coniunctum cum dogmatica adhuc: CAROLUS RENATUS BILLUART O. P.: *Summa S. Thomae hodiernis academiarum moribus accomodata* (1746-1751); THEOLOGI WIRCEBURGENSES S. J.: *Theologia dogmatica, polemica scholastica et moralis* (1766-1771).

Magis tamen in dies crescebat influxus auctorum, qui ad sententias inclinabant nimis benignas, atque vere laxas, quarum plures damnatas invenimus inter propositiones proscriptas ab Alexandro VII et Innocentio XI. Ita v. g. ANTONIUS DIANA: *Resolutiones morales* (resolvit circa 20.000 casus conscientiae) (1629 etc.); ZACHARIAS PASQUALIGO: *Decisiones morales* (1641); *Variarum quaestionum moralium canonicarum centuriae IV* (1647 etc.); ANTONIUS DE ESCOBAR S. J.: *Liber theologiae moralis 24 S. J. doctoribus reseratus* (1644); *Universae theologiae moralis receptiores absque lite sententiae* (1652) (ipsius opera praecipuum obiectum erant famosi aggressus Blasii Pascal in «Lettres provinciales»); THOMAS TAMBURINI S. J.: *Explicatio Decalogi* (1654); *Expedita iuris divini, naturalis et ecclesiastici moralis explicatio* (1661); *Methodus expeditae confessionis* (1647); GEORGIUS GOBAT S. J.: *Experientiae theologiae* (1669); PATRITIUS SPORER O. F. M.: *Theologia moralis* (1724). Inter eos eminet JOANNES CARAMUEL O. Cist., a S. Alfonso vocatus princeps laxistarum: *Theologia moralis fundamentalis, decalogica, canonica, civilis, praeterintentionalis, sacramentalis, regularis, militaris* (1686) et multa alia opera.

Oppositio quae iure merito contra talem laxismum oriebatur, pluries tamen in contrariam rigidam partem aberravit. Impetuosa et saepe iniusta oppugnatio dirigebatur a Iansenistis non solum contra laxismum sed et contra omnem casuisticam in genere; ita praesertim ANTONIUS ARNAULD: *Morale pratique des Jésuites*; PETRUS NICOL: *Essaie de Morale* (1671); notissimus BLAISE PASCAL, qui annis 1656-1657 edidit suas «Lettres provinciales» contra Societatem Jesu. Alii auctores rigidis opinionibus Iansenistarum nimis faventes censuras ecclesiasticas contraxerunt, sicut HENRICUS A S. IGNATIO O. Carm.: *Ethica amoris* (1709); LUDOVICUS HABERT: *Theologia dogmatica et moralis* (1709); *Praxis sacramenti Poenitentiae* (1714); CASPAR JUEIN: *Theologia moralis* (1741). Scripserunt sensu severiori sed catholico v. g. FRANCISCUS GONET: *Théologie morale* (1670); VINCENTIUS CONTENTSON O. P.: *Theologia mentis et cordis* (1673); NATALIS ALEXANDER O. P.: *Theologia dogmatica et moralis* (1693); HONORATUS TOURNELY, quem quoad partem moralem continuavit PETRUS COLLET: *Cursus theologicus scholastico-dogmaticus et moralis* (1731-1746); DANIEL CONCINA O. P.: *Theologia christiana dogmatico-moralis* (1749); VINCENTIUS PATUZZI O. P.: *Ethica christiana* (1770).

Dissidium circa theologiam moralem in genere vertebatur inter tendentiam rigidam et laxam: utraque habuit opiniones extremas haereticas aut saltem damnatas. Oppositio se manifestabat in diversis quaestionibus particularibus, praesertim circa administrationem et receptionem sacramentorum Eucharistiae et Poenitentiae (dilatio absolutionis, contritionismus contra attritionismum, spatium poenitentiae etc.). Extremum rigorismum propugnaverunt Iansenistae, praesertim famosis libris ANTONII ARNAULD: *De la fréquente communion* (1643) (refutatur a PETAVIO: *De la pénitence publique et la préparation à la communion* 1644) et JOANNIS A NEERCASSEL: *Amor poenitens* (1683). Inter catholicos controversia modo

minus aspero agitabatur; plures tamen propositiones postea damnatae sunt ab Alexandro VIII.

Centrum tamen omnium controversiarum de morali benigna aut rigida inter catholicos erat quaestio de probabilismo. Nullo modo omnes probabilistae dici possunt laxistae, neque probabilioristae aliique rigidioris sententiae patroni Iansenistae vocentur; attamen negari non potest, probabilismum speciatim ea forma, qua istis temporibus in praxi applicabatur, facile laxis sententiis portam aperuisse. Plures probabilistae argumentis levius admissis « a simili », ex auctoritate extrinseca etc. magis quaerere videbantur qualemcumque pro sententia benigna probabilitatem quam veritatem. Propterea controversia contra laxismum saepissime formam induit antiprobabilisticam.

Probabilismus prima vice expositus a Bartholomaeo a Medina et ab aliis theologis famae non exiguae receptus, sicut Vasquez, Suarez, Joanne a S. Thoma, exinde apud fere omnes theologos in pacifica possessione erat. Vera et strenua oppositio exordiebatur, cum Capitulum generale O. P. de mandato Papae Alexandri VII ordinem monuit contra laxas opiniones; ex illo tempore Theologi Dominicani generatim profitebantur probabiliorismum, dum Societas Jesu fere universa probabilismum defendebat. Mox ab utraque parte crescebat litteratura pro aut contra. Probabilismum oppugnaverunt praesertim JOANNES BAPTISTA GONET O. P.: *Dissertatio theologica de conscientia probabilis seu de opinionum probabilitate, contra intolerabiles novorum casuistarum laxitates et nimium iansenistarum rigorem* (1664); VINCENTIUS BARON O. P.: *Theologia moralis adversus laxiores probabilistas par prior* (1665); *Theologia moralis summa bipartita* (1667); VINCENTIUS CONTENSON O. P.: *De novello probabilitatis commento*; PROSPER FAGNANUS (a S. Alfonso vocatus magnus rigoristarum princeps): *De opinione probabilis tractatus* (1665); dum probabilismum defendebant praesertim FRANCISCUS BORDONUS: *Propugnaculum opinionis probabilis in concursu probabilioris* (1668); ANTONIUS TERILLUS S. J.: *Fundamentum totius theologiae moralis* (1668); *Regula morum* (1677).

Auctoritas ecclesiastica iam non potuit non loqui: complures libri ab utraque parte editi in Indicem relati sunt; anno 1665 - 1666 Alexander VII damnavit 45, anno 1679 Innocentius XI 65 propositiones laxas, inter quas aliquae formas extremas probabilismi repraesentant; ab altera parte 1690 Alexander VIII inter 30 propositiones etiam formam extremam tutorismi reiecit. Super his propositionibus damnatis mox florere incepit nova litteratura commentariorum quibus controversia continuabatur, inter quos praecipue notandi sunt quidam auctores moderati: JOANNES DE CARDENAS S. J.: *Crisis theologica* (1687) et praesertim DOMINICUS VIVA S. J.: *Damnatae theses ab Alexandro VII, Innocentio XI, Alexandro VIII...* (1708).

